



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 3. In qua specie & bonitate res mutuata reddi debet?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

alter sponte consentiat, mutuuum enim eadem bonitate quâ datum est, eodemque genere reddi debet, l. 3. ff. *de reb. cred.* neque enim mutuuum est venditio aut permutatio.

Q. 3. *In qua specie, & bonitate res mutuata reddi debet?*

Resp. Seclusa speciali conventionem iusta non potest exigere pecunia eadem in specie physica, sed solum eadem in valore, quem habuit tempore mutui, sive interim valor monetæ auctus fuerit, sive imminutus, saltem si tempore mutui hæc mutatio non fuit prævisa, nec spectata. Ita communiter Theologi teste De Lugo: nam cum in pecunia per se spectetur solum valor extrinsecus, non entitas physica, & ex usu constet speciem monetæ potissimum desumi ex valore, non ex materia, reddendo valorem, quem habuit tempore mutui, tantum reddis, quantum accepisti. In aliis vero rebus, in quibus per se spectatur & intenditur rei entitas, restitui debet in eadem specie physica, v. g. triticum pro tritico, & quidem in eadem mensura, sive pretium eius crescat, sive decrescat, quando tempore mutui hæc mutatio non prævidetur, nec ad eam attenditur: quia cum in iis rebus entitas, & bonitas intrinseca spectatur, reddendo eandem mensuram ejusdem speciei physicæ, & bonitatis intrinsecæ, tantum redditur, quantum acceptum est, & sic servatur æqualitas. Aliud est de moneta, dum
ejus

eius valor accrevit; quia in ea æqualitas valoris non substantiæ spectatur.

Q.4. *An licet pacisci de reddenda re mutuata in eadem mensura, & quantitate, vel pecuniâ in eadem specie physica?*

Resp. I. Si sit dubium utrum res tempore restitutionis valitura sit pluris, aut minoris, licet pacisci, ut reddatur par mensura rei æquæ in se bonæ, & eam suo tempore accipere, quamvis interim pretium ejus valde creverit, ex cap. ult. *de usur.* quia tunc par est contrahentium conditio, & servatur æqualitas: nam erga utrumque est æqualis spes lucri, & æquale periculum damni. Idcirco licet etiam exigere tot in specie physica nummos, quot dati sunt, sive valor mutetur, sive non, quando utrumque est æquæ probabile.

Resp. II. Si certum vel probabilius sit rem tempore solutionis plus valituram, quam modo, vel valorem monetæ augendum, non licet exigere parem mensuram, vel parem numerum nummorum, sed solum eam mensuram, quæ tunc exæquabit valorem præsentem rei mutuatæ, vel pretium æquale monetæ mutuatæ. Ita Lessius, De Lugo, Salas, & alii multi. Quia alioqui exigeretur ultra id, quod æquivalet rei mutuatæ; quod est usura: res enim tempore solutionis pluris valebit, quam eo quo traditur. Hinc si sex modii tritici nunc